

XXIV. (128.)

Graf Stanislaus von Gorka dankt dem H. A. F. für die Einladung zu seiner Hochzeit, bedauert aber absagen zu müssen.

1573. 19. Juli. Posen.

Ad. Illustrissimo principi et domino domino Alberto Friderico Dei gratia, Marchioni Brandenburgensi: ac in Prussia, Stetinae, Pomeraniae, Cassubarum et Vandalorum duci, [Burg]grauio Noribergensi Rugiaeque prin [cipi], domino meo clementissimo et observandissimo.

Illustrissime Princeps

Domine domine mi clementissime.

Me et officia mea addictissima, in gratiam vestrae Illustrissimae celsitudinis commendo.

Ex literis Illus^{me} Cels. vestrae quae mihi sunt oblate, satis aperte cognovi, non tantum ex illa suae Celsitudinis gratia, quam semper erga me magnam expertus sum, nihil omnino decessisse: Verum etiam hoc tempore non paruum curriculum, ad eam accessisse. Quod quidem ego, cum aliis ex rebus multis, tum vero inde facile [conjicio],¹⁾ quod me dignitatis suae cuiusdam gratia ad solemnes suas nuptias invitat, quocquidem studio Illr^{ime} cels. v. mihi neque carius neque iucundius quicquam potest accidere, et sane deceret ne eum, qui non ad petitiones sed mandata Illriss^{me} cels. vestrae, semper sum paratissimus, eam gratiam Illriss^{me} cels. vestrae referre, ac in ea re, que ad dignitatem meam magis spectat, ei satisfacere: nisi me non tam mea, quam totius Reipub. rationes impedirent. Non tamen latet Illriss^{me} Cels. vestram, nos ad hoc pene tempus adventum Illustrissimi et serenissimi Regis nostri ex Galliis (qui utinam ad nos incolumis et bene sanus quamprimum veniret.) expectare, pro officio itaque cuiusque equestri genere nati, et innata nobis omnibus in principes nostros observantia, aequum erit me ita se comparare, ut ei quocunque venerit, una cum aliis ipse etiam occurram. Id futurum quoniam sub id fere tempus speramus: majorem in modum rogo et oro, ne Illriss^{me} cels. vestra eo quod venire et Ill^{me} cels. vestrae inservire non possim aegre ferat, Me tamen ad omnia obsequia, si semper paratissimum esse quovis alio tempore non dubitet. Illud unum obnixè a Illriss^{me} cels. vestra peto, ut me veteri sua benevolentia complectatur, et eandem in me quam semper expertus sum benignitatem, retinere velit. Quod superest, Illriss^{me} cels. vestram, optime cupio valere. Date Posnanie 19. die mens. julii Anno domini 1573.

Illriss^{me} cels. vestrae addictissimus servitor.

Stanislaus Comes A Gorka²⁾

manu pp.

1) An dieser Stelle befindet sich im Original ein nicht zu entzifferndes Wort. Dem Sinne nach wird hier conjicio erfordert.

2) Eigenhändig.